



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Arnoldi Corvini à Belderen J. U. D. Jus Canonicum, Per Aphorismos Strictim Explicatum

Corvinus van Beldern, Arnold

Amstelodami, 1663

Testibus cogendis, vel non.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10591

Quod non ex testium multitudine sola, nec testimoniorum verisimilitudine, sed ex testium fide, dignitate, moribus, fortuna, constantia, religione, ponderat. *c. si testes. §. testium. 4. qu. 2. c. praterea. 27. hic. c. forus. 10. §. fin. de verb. signif. c. Ecclesia. 48. de elect. l. testium. 3. ff. hic.*

Si testes Actoris & Rei auctoritate & conditione sint pares, pro Reo sententiam ferre debet. promptiores enim ad absolvendum esse debemus, quam ad condemnandum. *c. ex literis. 3. de probat. Nisi Actoris causa sit Rei favorabilior.*

Talis est, si sit pro re aut persona favorabili; ut libertate, dote, testamento, legitimatione, pupillo, vidua, orphano, fisco, Ecclesia, &c. *c. fin. de re jud. l. inter pares. 38. ff. eod.*

De testibus cogendis, vel non.

TIT. XXVIII.

Testes si vocati sponte noluerint veritati testimonium perhibere, à Iudice Ordinario, vel ejus Delegato seu Commissario, Ecclesiasticâ censura, etiamsi juraverint se testimonium non dicturos, *c. intimavit. 18. d. testib. & attest. cogi possunt; c. 1. 3. 4. 7. 8. 9. 10. hic. maximè si nullo excusationis privilegio sint muniti, & se gratia, timore, vel odio, ferendo testimonio subtrahant. c. dilectorum. 10. & c. 1. eod.*

Publicè enim, ne veritas, ad quam eruendam testes adhibentur, *c. 1. eod. occultetur, c. fin. eod. imo & ipsius testis interest; cùm veritatem occultare sit mortale peccatum, c. 80. quisquis. 11. qu. 3. c. 1. & ibi Gl. verb. occultent. hic.*

Cogi non potest testimonium quis dicere, contra socerum, generum, vitricum, privignum, sobrinum sobrinove natum, eosque qui priore gradu sunt, &c. *c. ult. §. Lege Iuliâ publicorum. 4. qu. 2. nec libertus contra patronum; d. c. ult. §. liberti adversus. nec senex, valetudinarius,*

narius, miles, qui cum Magistratu abest, aut cui venire non licet; *d. c. ult. §. in viii.* publicanus, qui exercitui præbendum conduxit, *d. c. ult. §. publicani.* Episcopus, *c. 9. testimonium. §. nec honore. II. qu. 1.* Clericus, aliaque Ecclesiastica persona. *c. 38. statutum. in fin. 2. qu. 6.*

Quæ tamen personæ, si aliter de veritate constare nequit, ad testimonium vel coram iudice evocatæ, vel coram persona ad illas missa, *c. si qui testium. 8. de testib. & attest. dicendum, cogi possunt. c. super. 3. c. pervenit. 4. hic.*

Cavendum tamen, ne temerè, & nisi exigente causa, testes evocentur, *c. statutum. II. §. pro ferendo. de rescript. in 6. & ut sumtus evocandis à producente dentur; alioquin enim venire non tenentur. d. c. statutum. §. pro ferendo. vers. sed nec tunc. c. fin. §. liberti testes. 4. qu. 2.*

Qui testes testimonium dicere, vel ad examen venire impediunt, puniendi sunt. *c. cum causam. 37. §. quod si forte. & c. constitutis. 46. de testib. & attestat.*

De fide instrumentorum.

TIT. XXIX.

Testium & instrumentorum probationes in exercendis litibus æquiparantur: *l. in exercendis. 15. C. hic.* imo interdum, sed latâ significatione, instrumentorum appellatione testes continentur. *c. pervenit. 4. de testib. cog. c. forus. 10. de verb. signif. in stricta, sunt diversa. c. cum Ioannes. 10. hic. c. II. forte. in fin. 23. qu. 4.*

In hac significatione *Instrumenta* accepta, sunt scripturæ rei controversæ fidem facientes.

Sunt vel *publica*, vel *privata*.

Publica dicuntur, quæ à publicis personis (ut Notariis.) *c. quanquam. 2. de usur. in 6. c. illud. II. de presunt. confecta; c. 2. hic.* quæ sigillo aliquo publico, ut Episcopi, *c. post cessionem. 7. de probat. c. 20. cura. II. qu. 3.* Capituli, *c. 5. de probat. c. in nomine Patris. I. fin. dist. 73.*
Principis